

capitulum; his casibus ille nominatus, præsentatus aut electus in Episcopum, illico munus vicarii capitularis demittere potest. Cum enim Concilium Tridentinum sess. 24, cap. 16 de reform. jusserit, Episcopum ad vacantem ecclesiam promotum de iis quæ ad eam spectant, ab œconomò, vicario et aliis quibuscumque, sede vacante constitutis, rationem exigere; perspicuum est, vicarii capitularis et futuri Episcopi personas esse distinctas, cum sibi nemo rationem reddat. Præterea in cap. *Avaritiæ* in VI, lib. 1, tit. VI de electione c. V, constitutum est « ut nullus de cetero administrationem » dignitatis, ad quam electus est, priusquam celebrata de ipso » electio confirmetur: sub œconomatus, vel procurationis nomine: » aut alio de novo quæsito colore: in spiritualibus vel tempora- » libus, per se vel per alium, pro parte vel in totum, gerere vel » recipere, aut illis se immiscere præsumat. Omnes illos, qui » secus fecerint, jure, si quod eis per electionem quæsitum fuerit, » decernentes eo ipso privatos. » Similia statuta sunt in Decretali *Injunctæ* et in Constitutione Pii IX *Romanus Pontifex* supra allatis. Insuper Pius VII in suis litteris ad vicarium capitularem ecclesiæ Florentinæ 4 Decembris 1810, et aliis ad vicarium capitularem ecclesiæ Parisiensis 19 Decembris ejusdem anni, pronuntiavit, Episcopos ad eas sedes nominatos administrationi earundem Sedium recipiendæ, gerendæque sub vicarii capitularis, aut alio quovis nomine inhabiles prorsus esse, atque adeo administrationem hujusmodi non modo improbandam, verum etiam irritam et nullam fore, quoniam adversus sanctissimas Ecclesiæ leges, ejusque vigentem disciplinam attentaretur, et manifeste tenderet ad principia legitimæ missionis obscuranda et destruenda. Cum igitur Episcopi nominati et electi ante acceptionem et exhibitionem litterarum Apostolicarum interdicantur, ne sub ullo unquam titulo administrationi ecclesiarum, ad quas electi vel nominati sunt, se ingerant; quinimo cum inhabiles declarentur, ne sub vicarii capitularis aut alio quovis nomine ecclesiam administrent: consequens est, ipsos statim ac in Episcopos earundem ecclesiarum, quas ut vicarii capitulares administrant, eliguntur vel nominantur, ab administratione cessare debere, munusque vicarii capitularis demittere (1). His tamen non obstantibus censet De Angelis (2) vicarium capitularem, qui eligitur vel nominatur ejusdem ecclesiæ

(1) Soglia, Instit. juris priv. § 23, edit. 2 Paris; Hermes loco cit.

(2) Prælectiones juris can. lib. 1, tit. V, n. 13 et tit. XXVIII, n. 23.

Episcopus, valere diocesim administrare; et dicit, hanc sententiam in jure magis fundatam esse, quia omnia jura quæ allegantur, loquuntur non de titulo antea quæsito, sed de titulo noviter quæsito, et de arcenda fraude contra legem, quæ fraus in hoc casu verificari non potest.

§ 4. *An omnes idonei et habiles pro electione vicarii capitularis admittendi sint, nullusque prævie excludendus?*

Fieri posset, ut capitulares inter se convenirent, et statuerent, excludere talem vel talem, cæteroquin idoneum. Quod si eveniret, peti posset, an valeret electio vicarii capitularis? Respondet Pignatelli (1) « negative, quia quilibet idoneus de jure potest eligi, » atque adeo non potest a concursu repelli (2). Eademque ratione » non potest Episcopus repellere concurrentem ad parochialem. » Rejectio enim idonei vim habet voluntariæ coarctationis ad » certum numerum eligendorum, quæ non permittitur electoribus » in præjudicium aliorum; solumque coarctationes permittuntur » post factum scrutinium, dummodo omnes in eo fuerint admissi, » et tanquam minus idonei rejecti; at a scrutineo non debent » repelli; et si quis repellatur, ex hoc ipso electio dicitur restricta » et coarctata. » Quapropter cum quilibet de capitulo, qui est doctor, censeatur idoneus ad munus vicarii capitularis, si fuerit rejectus a scrutineo, et ipse etiam extrajudicialiter reclamaverit vel appellaverit, electio remanet nulla. Quod si ille, qui reclamavit et appellavit, postea in electione facta votum suum dederit, licet cum protestatione non renunciandi juri suo, cum hæc sit contraria facto, non invalidat electionem (3).

§ 5. *An unus vel plures vicarii capitulares constituendi?*

I. Ante Concilium Tridentinum de jure communi licebat capitulis unum vel plures vicarios constituere (4).

(1) T. VI, cons. 92.

(2) Rota decis. 65, n. 6, parte 1, rec.

(3) Ita Scarfontonus lib. IV, tit. VII, animadv. 30-32; Vid. etiam Bouix de capitulo p. V, s. 1, cap. XVII, § V.

(4) Fagnanus in 2, p. I, Decretal. De major. et obed. c. *His quæ*, n. 68.

II. Aliqui (1) etiam putant post Concilium Tridentinum plures constitui posse vicarios capitulares, sicut Episcopus plures habere potest vicarios generales; et quamvis Concilium Tridentinum sess. 24, cap. 16 de ref. loquatur in singulari, id est, quia regulariter non solet poni nisi unus vicarius, et præterea dispositio loquens de uno, habet locum in pluribus, quando eadem est ratio.

III. Nihilominus post Concilium Tridentinum unus tantum eligi et constitui potest vicarius capitularis, nisi habeatur privilegium seu indultum Apostolicum vel consuetudo legitima.

Etsi Concilium Tridentinum non prohibeat explicite, quominus sede vacante plures constituantur vicarii capitulares, ex verbis tamen sess. XXIV, cap. 16 de reform. merito concludi debet, eam esse Concilii voluntatem, ut unus deputetur. Ubi enim Sancta Synodus de œconomio agit, plurium deputationem expressis verbis permittit, vicarii vero constitutionem præcipiens, de unico tantum loquitur. Occurritur quidem huic textus Tridentini interpretationi ab antiquioribus quibusdam auctoribus asserentibus, verba *vel plures*, quæ inveniuntur post *œconomum unum*, supplenda esse post alia *officiale seu vicarium*; et Concilium loqui in singulari quia regulariter non solet poni nisi unus vicarius; et sic plurium vicariorum æque ac œconomorum deputationem esse permissam. Quum vero ex regula, in interpretatione semper præ oculis habenda, a verbis legis nullatenus sit recedendum, nisi ad absurda ducant; opinio illa plane erronea dicenda est. Tantum enim abest, ut verba Concilii, quæ de unico tantum Vicario capitulari constituendo loquuntur, ab absurda ducant, ut unice per strictam eorum observationem, voluntas et intentio Concilii, tollendi nempe abusus et removendi difficultates ex multorum administratione obvenientes, adimpleantur. Posset capitulum legem Tridentinam eludere, si ipsi liceret de jure communi plures eligere vicarios capitulares. Si enim possit eligere duos, quid ni tres? Et si tres, quid ni quatuor, et sic deinceps, donec ad numerum ipsum membrorum capituli deveniatur, ita ut omnes capitulares constituantur vicarii capitulares, quod idem erit ac nullum constitui? Unde mens ipsa et scopus Tridentinæ legis, quæ voluit unitatem in regimine inducere, et dissensiones multorum deliberantium præcavere, innuit unum tantum eligendum (2).

(1) Garcias de beneficiis p. 5, cap. VII, n. 36, cum aliis ab eo citatis.

(2) Hermes cap. V; Bouix de capit. p. V, s. 1, cap. VIII, § 2.

Etenim ut unus in unaquaque diocesi est Episcopus, ita etiam omnino congruit, ut unus debeat esse vicarius; hac enim tantummodo ratione servari potest unitas regiminis, et actuum uniformitas, quæ ad omnem confusionem præcavendam necessariae sunt (1). Nullibi prohibetur Episcopo, plures constituere vicarios generales, prout de vicario capitulari interdicitur. Insuper vicarii generales ab Episcopo dependent, ita ut unitas jurisdictionis servetur; ipsique ab Episcopo pro libito removeri possunt, aliique constitui, quod jure novissimo capitulis interdictum est. Ex plurium vero Vicariorum capitularium deputatione, æque principaliter constitutorum, haud difficile est intelligere, quomodo non raro quam plurima proficiscantur incommoda, præsertim si inter se non conveniant, vel methodo non uniformi procedant: omnes enim versantur in exercitio jurisdictionis independentem a capitulo, et proinde unitas scinderetur, et quandoque ejusmodi jurisdictio in ecclesiasticæ disciplinæ dispendium verteretur. Quod si diœcesis latitudo ac negotiorum multiplicitas plurium hominum operam exigit, nihil impedit, quominus idem vicarius unum vel plures tanquam provicarios sibi adsciscat, qui sua sub potestate ac nutu negotia ministerii pastoralis expediant (2).

Omne autem dubium quoad hanc quæstionem remouent S. C. C. responsa et decisiones, quæ declarant unum tantum vicarium capitularem eligendum esse. Hæ inter alias sunt sequentes.

1° In causa *Tarentina*. quam citat Fagnanus in 2 p. I Decretal. in cap. *His quæ* de major. et obed. n. 68, in qua S. Congregatio censuit, unum tantum vicarium eligi posse, ex quo Concilium sess. XXIV, cap. 16 injungit capitulo, ut deputet sede vacante œconomum unum vel plures, et eligat officialem seu vicarium: et ita ubi facit mentionem de vicarii electione, non repetit illam dictionem *plures*.

2° In causa *Panormitana* 21 Ap. 1592. Congregatio Concilii censuit, ex decreto Concilii capite 16 sessionis 24, a capitulo, sede vacante, unum tantum vicarium esse eligendum. Cæterum non esse eo decreto sublatam consuetudinem duos aut plures eligendi, præsertim immemorabilem.

3° In causa *Limana* 31 Maji 1625. Sacra Congregatio censuit,

(1) Litteræ S. C. C. ad Archiep. Albien, 4 Sept. 1871, Analecta jur. Pontif. 11 sér. 1872, fol. 524.

(2) Litteræ S. C. C. ad Archiep. Albien. supra cit.

circumscrip̄ta contraria consuetudine legitime præs̄cripta, nequaquam licuisse capitulo, sede vacante, duos vicarios ut supra constituere. » Hanc resolutionem confirmavit Urbanus VIII Brevi *Exponi nobis* 8 Aug. 1625 (1).

4° In causa *Dertusensi* 19 Mart. 1639 « Sacra Congregatio censuit dandas esse declarationes antiquas tenoris sequentis : in una Panormitana die 21 Aprilis 1592, Sacra Congregatio censuit ex decreto ejusdem S. Concilii cap. 16, sess. 24 de reform. a capitulo, sede vacante, unum tantum vicarium esse eligendum : cæterum non esse eo decreto sublatam consuetudinem duos aut plures eligendi, præsertim immemorabilem. »

Bouix (2) testatur, se has tres causas in Panormitana, Limana et Dertusensi suis oculis in regesto authentico vidisse, easque accurate transcripsisse.

5° In *Tirasonen.* 13 Junii 1669 *Election. vic. capit.* S. C. Congregatio ad dub. 2 : *An non accedente consuetudine immemorabili vel privilegio, possint eligi duo vicarii capitulares?* Respondit : *Negative* (3).

6° In *Elven.* 1 Dec. 1736, § 2, S. C. Congregatio respondit : « Capitulum cathedralis infra octo dies post mortem Episcopi, unum dumtaxat officialem, vel vicarium constituere, vel existentem confirmare tenetur, non autem duos aut plures in eadem diocesi potest deputare, nisi ibi contraria vigeat immemorabilis consuetudo. »

7° Ad relationem status ecclesiæ 14 Jul. 1858, respondet. « Quod innuis istic, sede vacante, tres vicarios capitulares eligi solere, animadvertunt eminentissimi Patres, capitula cathedralium infra octo dies post obitum Episcopi, unum dumtaxat, ex cap. 16, sess. 24 de reformatione, vicarium capitularem, non autem duos vel plures deputare debere, quemadmodum de vicariis generalibus agere licitum est. Hæc porro pluries declaravit Sacra Congregatio Episcoporum et Regularium, nec non et hæc ipsa, nominatim in *Elven* jurisdictionis ad 1 et 2 diei 1 Dec. 1736 » (4).

8° In causa capituli Ruthenensis Præfectus S. C. Congregationis ex mandato ejusdem Congregationis Archiepiscopo Albien. die 4 Septembris 1871 rescipsit : « ... Cum Tridentini Patres sin-

(1) Bullarium Rom. tom. V, p. V, pag. 353.

(2) De capitulis p. V, sect. 1, cap. VIII, § 2.

(3) Zamboni, *Vicarius capitularis* § 1, n. 25.

(4) Revue des sciences ecclés. 1860, Octobre fol. 293.

gulari numero usi fuerint, uno videlicet non pluribus eodem loco vicariis nominatis, satis superque ostenderunt, unum non plures, sede vacante, vicarios esse deputandos. Etenim ut unus in unaquaque diocesi est Episcopus, ita etiam omnino congruit, ut unicus debeat esse vicarius. »

Auctoritati S. Congregationis Concilii accedit canonistarum consensus. Post cognitatas enim illius tribunalis declarationes, doctorum in eundem sensum sententia evasit communis. Derelinquendi ergo omnino sunt pauci antiqui canonistæ, qui olim contrarium docuerunt (1).

Idem statuit secunda Synodus diocesana Mechliniensis 1609, tit. XV, cap. 1 : « Capitulum Metropolitanum Sede vacante intra octo dies non plures vicarios, sed unum tantum vicarium constituet, vel existentem confirmabit, juxta præscriptum Sacri Concilii Tridentini. »

IV. Unus igitur tantum vicarius capitularis post Concilium Tridentinum constitui potest, nisi, ut supra dictum est, habeatur indultum Apostolicum vel consuetudo legitima. Quæ autem legitima sit consuetudo, inquirendum est.

Certum est consuetudinem immemorabilem sufficere et esse legitimam. « In causa enim Tarentina supra citata Sanctissimus respondit consuetudinem immemorabilem, si legitime probetur, non esse sublatam a consilio; ideoque permittendum esse, ut juxta eam duo vicarii eligantur cum illis tamen qualitatibus quas ipsum Concilium requirit. » Idem declaratur in supracitatis causis Panormitana, Dertusensi et Elven. De consuetudine igitur immemorabili nulla inter auctores est dissentio. Ubi hæc existit, servari potest, quia præsumptionem inducit privilegii Apostolici, ita ut per eam omnia obtineri possint, quæ acquiruntur per privilegia et indulta Summi Pontificis.

De consuetudine non immemorabili disputatur. Plures auctores docent ordinariam consuetudinem quadraginta annorum sufficere (2). Horum potissimum argumentum desumitur ex resolutione S. C. C. in causa Panormitana, in qua declaratur, *non esse sublatam*

(1) Ita Bouix de capitulis p. V, sect. 1, cap. VIII, § 2; Hermes lib. post. cap. V; Craisson n. 1226.

(2) Antonelli de regimine eccl. *Episcopalis* lib. IV, cap. ult. n. 74; Pittoni *Disceptationes ecclesiasticæ* discept. 160, n. 76; Begundelli Bassi, *Bibliotheca Vicarius*, § 3, n. 27; Bouix de capitulis p. V, s. 1, cap. VIII, § III; Revue des sciences ecclésiast. 1860 fol. 292 et seqq. Phillips, *Lehrbuch* ed. 2, p. 318.

*consuetudinem*, duos aut plures eligendi, *praesertim immemorabilem*; ita ut praesertim sublata non sit consuetudo immemorabilis, sed nec etiam alia. Pro hac opinione afferri solent statuta capitularia in Gallia facta, et a Sede Apostolica approbata, in quibus plures vicarii eligendi notantur; item decreta conciliorum provincialium, quae revisione Romae facta, correctae non sunt, licet plures vicarios capitulares eligendos permitterent aut praescriberent, quamvis consuetudo immemorabilis allegari non possit. Negari quidem non potest, exinde robur addi doctrinae, quae admittit consuetudinem non immemorabilem. Cum autem simplex revisio vel confirmatio in forma communi nullam tribuat statutis et decretis auctoritatem Apostolicam, iisque nihil juris aut efficacitatis addat, qua antea carebant (1), validum inde argumentum deduci nequit.

Econtra alii docent ex sola consuetudine immemorabili plures constitui posse vicarios capitulares (2), et probant ex decisionibus S. C. C. supra allatis, quae solam immemorabilem expriment, ac dicunt, decisionem in causa Panormitana non eum habere sensum, ut praeter immemorabilem probet consuetudinem ordinariam. Praeterea plura dantur documenta, a Sede Apostolica recenti tempore emanata, quae clare ostendunt, solam praxim, unum eligendi vicarium, legitimam haberi, eamque non obstantibus consuetudinibus urgeri, quoties speciales non obstant difficultates; usum vero contrarium ob peculiare tantum locorum circumstantias tolerari (3). Unde notat De Angelis (4) eam consuetudinem tolerari quoad ea loca, in quibus consuetudo praescripta est, licet Sancta Sedes non permittat eam introduci in iis locis, in quibus non viget, quin imo suaviter curat, ut si fieri potest, etiam in illis locis cesset, in quibus legitime viget.

Notandum autem hic est, tempus consuetudinis in hac re non ita spectari posse sicut in aliis negotiis, quorum frequentes sunt actus. Ad inducendam enim consuetudinem aliquot et plures requiruntur actus: fieri autem potest, ut sedes Episcopalis tempore quadraginta annorum non vacaverit, vel tantum semel aut bis; et ita toto illo tempore nullus vel tantum unus aut alter actus occur-

(1) Bened. XIV de Syn. lib. 13, cap. V, n. XI.

(2) Fagnanus in 2 p. 1. Decretal. cap. *His quae de Major. et Obed.* n. 68; Cardinalis de Luca, Annot. ad Conc. Trid. disc. 31, n. 40; Leuren q. 547; Pellegri- nus part. 1. s. 4, subsect. 1, n. 17.

(3) Vid. Hermes de capitulo sede vacante cap. V.

(4) Praelect. jur. can. lib. 1, tit. XXVIII, n. 18.

rerit. Licet vero disputetur, quot actus ad consuetudinem constituendam requirantur; unus tamen vel alter actus consuetudinem non efficit (1).

V. Ubi duo sunt Episcopatus aequae principaliter uniti, et duo capitula cathedralia separata, tunc juxta plures utrumque capitulum, sede vacante, suum vicarium capitularem deputare potest, quum nec verba nec mens concilii obstant (2); juxta decreta autem S. Congregationis Episc. et Regul. (3) vicarius capitularis electus in simili casu vicarium cum limitata vel plena facultate pro altera dioecesi deputare potest.

VI. Si plures vicarii capitulares sine indulto Apostolico et sine legitima consuetudine eligantur, hujusmodi deputatio nulla et invalida dicenda est. Non tamen putandum est, ut plures notant auctores, jurisdictione caruisse sic deputatos, quia, dum bona fide et cum titulo colorato proceditur, Ecclesia supplet jurisdictionem (4).

VII. Habita facultate eligendi duos vicarios, isti alternis mensibus vicariatus munere fungi possunt, si legitima probetur immemorabilis consuetudo (5); si autem quoad hoc non adsit immemorabilis consuetudo vel privilegium, officium alternatim per menses exercere nequeunt (6).

§ 6. *An capitulum vicario capitulari consultorem, provicarium, aliosque officiales aut ministros adjungere valet.*

I. Vicarius capitularis omnia munera per seipsum exercere et perficere non debet, nec ordinarie potest; sed alios officiales assumere valet. Quod si dioecesis latitudo ac negotiorum multiplicitas plurium hominum operam exigat, nihil impedit, quominus vicarius capitularis unum vel plures tanquam provicarios sibi adsciscat, qui ejus sub potestate ac nutu negotia expediunt (7); et quibus

(1) Bouix, Revue des sciences ecclésiast. 1860, Octobre fol. 297.

(2) Cardinalis de Luca, Annot. pract. disc. 31, n. 41; Bouix p. V, sect. 1, cap. VIII, § V; Hermes loco cit. fol. 109.

(3) 4 Aug. 1775, *Terracinen seu Setina*, et 3 Sept. 1788, *Pontiscurvi*; Analecta juris Pontif. 1873, sér. 12, fol. 126, n. 566 et fol. 207, n. 678.

(4) Bouix loco cit. § IV in not. Revue des sciences ecclésiast. 1860, Octob. fol. 297; Hermes loco cit. fol. 109.

(5) S. C. C. 31 Maji 1592 in *Panormitana* apud Barbosa de canonicis cap. 42, n. 34.

(6) S. C. C. 13 Jul. 1669, in *Tirasonen*, apud Zamboni *Vicarius capit.*, § 1, n. 26

(7) Ita S. C. C. 4 Sept. 1871 in instruct. ad Archiep. Albien. Analecta juris Pontif. sér. XI, fol. 524.